

## ARTICULUS III.

## DE MODO PROPAGATIONIS PECCATI ORIGINALIS

## Thesis LXXXV.

*Peccatum originale, quod unum est specie, multiplicatum numero in singulis, propagatur per eum actum quo natura naturaliter propagatur, nempe per generationem quae in potestate naturae est, quae fit nimirum per sexuum commixtionem. Cuius generationis terminus sicut fuisset in instituto statu elevationis naturae sancta, sic est post lapsum naturae sanctitate destituta. Per generationem vero non nisi peccatum primi hominis propagatur. Ex his porro consequitur quod anima rationalis, etsi recens creata, contrahit peccatum, quod propagatur etiam in filios baptizatorum.*

I. Peccatum habituale unum specie est quod ab uno actuali peccato procedit: atqui peccatum originale ab uno peccato capitis naturae procedit: ergo. Quia vero unicuique singillatim inest privatio gratiae, quae baptismo tollitur, hinc numero multiplicatur per multiplicationem individuorum. Ergo.

II. Si peccatum originale singulis inest, ergo propagatur in ipsis. Quomodo autem propagetur, iam constare debet ex demonstratis in Thes. LXXIII. Nam, si peccatum originale est privatio iustitiae originalis, quae omnibus inest ex praevacatione primi parentis eo quod sunt unum cum illo; 1) necesse est ut qui eo peccato obligandi sunt, sint reapse unum cum illo, sive ut ille sit eorum parens, eorum caput naturale, quod aliter fieri nequit nisi quatenus per successivam generationem ab eo descendunt: 2) vicissim quotquot ab eo generatione successiva propagantur, iique soli sunt unum cum illo, una familia, cuius ipse caput est naturale: ideoque quotquot ab eo generatione successiva propagantur, iique soli contrahunt peccatum originale. Ergo per generationem propagatur peccatum originale. Scilicet quemadmodum iustitia originalis data est naturae humanae, ut in illa semper esset, et sic per generationem, qua novi filii procreantur, simul cum natura iis communicaretur, ita propter peccatum Adami inducta privatione iustitiae in natura, cuius ipse principium erat, natura quae ab eo per generationem propagatur, propagatur privata dono illo iustitiae. Peccatum ergo naturae pro-

pagatur actu naturae, h. e. eo actu quo natura propagatur, seu quo humanum genus, humana familia existit.

Sane haec est formula catholica: *generatione trahi peccatum.* Can. 2. Conc. Milev. « Ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur (infantes) ut in eis regeneratione mundetur quod *generatione traxerunt.* Eadem repetit Tridentina Synodus. Sess. V, cn. 4. Eadem quoque cn. 3. ait: *hoc Adae peccatum, origine unum, propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inesse unicuique proprium.* Propagatione ergo peccatum transfunditur. Cuiusmodi autem sit haec propagatio declaratur diserte sess. seq. cp. 4. his verbis: « Sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant etc. » Propagatio ergo, qua peccatum Adae transfunditur, est ea qua concipiuntur per Adamum, qua ex semine eius propagantur et nascuntur: est scilicet generatio ex Adamo. Et ita habetur antithesis catholica contra thesim pelagianam. Pelagiani enim dicebant *imitatione* peccatum Adami transire in homines; catholici e contrario cuncti cum Augustino tuebantur *generatione* pertransire in omnes homines: quam doctrinam respexit et confirmavit Tridentina Synodus cp. 4. inquires *propagatione* non *imitatione.* His autem formulis similis est illa: *nos in Adamo, in primo parente peccasse,* quia, ut Augustinus declarat (Op. imp. L. IV, c. 404.), « secundum originem seminis omnes in illo uno erant. »

III. Diximus actum quo natura *naturaliter* propagatur, atque hunc diximus esse generationem quae est in potestate naturae. Intelligimus nempe generationem quae est per commixtionem viri et feminae; hic enim est modus naturalis propagationis, atque hic fuit in potestate Adami. Porro quod peccatum originale derivetur tantum in eos, qui huiusmodi generatione propagantur manifestum est. Nam eorum tantum caput fuit Adam quorum successiva productio ab eius activitate pendebat: at ab activitate Adami non pendebat nisi successiva productio per generationem naturalem; nam hac tantum ipse exordiri poterat propagationem naturae, et eatenus virtualiter principium erat activum successivarum productionum, quatenus per eam generationem propagabat naturam quae haberet rursus sine fine potestatem se propagandi: atqui natura genita ab Adamo non habebat potestatem se propagandi nisi naturali modo per commixtionem maris et feminae: ergo eorum tantum caput est Adamus, qui naturali generatione propagantur. Huc spectat opus s. Anselmi de Conceptu virginali; ex quo haec satis sit exscribere c. 23. « Verum quamvis constet eos omnes in illo fuisse, solus tamen Filius Virgi-



nis valde diverso modo ab aliis in illo fuit. Omnes quippe alii in illo sic fuerunt, ut per naturam propagandi, quae potestati et voluntati eius subdita erat, ex illo essent; solus vero iste non sic in eo fuit ut per naturam aut voluntatem eius de illo fieret. De aliis enim acceperat Adam, quando peccavit, ut esset hoc, de quo illi futuri erant, et ut de illo essent; de isto vero, ut esset, unde futurus erat, non autem ut de illo esset, quia non erat in eius potestate ut de illo propagaretur... Valde itaque diverso modo hic erat in Adam, quando peccavit, quam erant illi, qui voluntario et naturali cursu procreantur. » Nomen ergo Christus erat in Adam? audi s. Thomam id ex Augustino declarantem 3. p. q. XV, a. 1. ad 2. Ait ergo Thomas « dicendum, quod, sicut dicit Augustinus super Genes. ad litt. L. X, c. 19 et 20: non eodem modo Christus fuit in Adam, et in aliis patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum seminalem rationem, et secundum corpulentam substantiam; quia, scilicet, ut ipse ibidem dicit: secundum *rationem illam seminale* ibi (in lumbis Abrahae) fuit Levi, qua ratione *per concubitum* venturus erat in matrem; secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae caro. (1) Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahae secundum animam, secundum carnem vero et Levi et Christus, sed Levi *secundum concupiscentiam carnalem*, Christus secundum solam substantiam corporalem. Cum sit in semine et visibilis corpulentia et *invisibilis ratio*, utrumque concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariae, quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est. Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit, ratio vero conceptionis eius non a semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit. Unde (prosequitur Thomas) non fuit (Christus) in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus non accepit active ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter; active vero a Spiritu Sancto: sicut et ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terrae, active autem a Deo. Et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam. » Similia allatis ex Augustino a Thoma habet idem Augustinus in Op. imp. L. IV, n. 403. « Licet sit etiam ipse (Christus)

(1) Huiusmodi conceptio praeter ordinem naturae miraculosa dicitur. Miraculum vero in generatione intelligitur illud, quo Deus ipse actione sua aliquod principium naturale suppleret, quemadmodum in Christi generatione contigit: quod si Deus tantum vires reficit naturalis principii, quod deinceps ita institutum naturaliter agat, ut contigit in generatione Baptistae, peccatum ex aequo contrahitur.

secundum carnem semen Abrahae, eo quod Virgo Maria, de qua carnem sumpsit, ex ipso semine propagata est; non tamen est obnoxius eidem semini, qui *virili non est conceptus semine, liber a nexu seminatricis concupiscentiae*. ... Omnes qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant boni vel mali, in uno potissime peccare, in quo *per rationem seminis erant*; quando ille propria voluntate peccatum illud grande peccavit, naturamque in se vitaviat, mutavit, et obnoxiviavit humanam, excepto uno homine, qui ex ipso quidem semine, non tamen seminali ratione procreatus est: si potes, intellige; si non potes, crede.»

Tenendum porro est quod ut s. Thomae responsio valeat, non oportet ut reapse femina solum passive concurrat ad generationem; sed quamvis ex parte sua active concurrat, verum est quod deficiente viro generatio propria naturae non adest. Adamus autem propagat peccatum quatenus principium est humanae generationis, in eosque peccatum propagat qui per generationem, cuius ipse Adam tandem principium est, ab ipso procedunt. Qui autem citra opem viri gignitur, non spectat ad illam seriem generationum cuius principium est Adam; ipse enim principium est quatenus vi sua generativa naturali modo propagationem humanae naturae inchoavit.

IV. Quocirca in Adam duplex est distinguenda causalitas. Prior est causalitas physica qua inchoavit ipse propagationem naturae; altera est causalitas moralis sita in peccato suo, qua privavit naturam a se gignendam iustitia originali. Porro generatio inchoata ab Adamo, et ingiter perseverans est conditio propagationis peccati: ut enim in aliquos propagetur requiritur ut si sint filii naturaliter eius qui peccavit. Generatio per se est indifferens: in statu naturae purae naturam solam traduceret, in statu naturae elevatae, naturam elevatam traduxisset; in statu naturae lapsae, naturam depravatam, peccato infectam traducit. Propagatio donorum supernaturalium in statu elevationis pendebat ex instituta lege Dei: traductio peccati in natura lapsa pendet ex peccato capitis naturae.

Hinc habes eum circumlatam a persona ad naturam et vicissim, cuius frequenter scholastici mentionem faciunt. Scilicet, ut ait Anselmus De Conc. virg. c. 23. « Spoliavit persona naturam bono iustitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit. »

Unde omnis malitia non in generatione, quae opus bonum est, sed in peccato Adami est, per quod factum est, ut actu naturae traduceretur natura privata donis supernaturalibus.

V. Ex haecenus dictis illud quoque intelligitur cur peccatum Adami et quidem primum, non autem peccata ceterorum parentum,



atque alia peccata Adami, si qua admisit aut admisisset, traduntur ad posteros. Augustinus quidem in hac quaestione dubius haesit. Sane in Enchirid. c. 46. nihil absolute affirmat, sed ait tamen: « parentum quoque peccatis parvulos obligari non solum primorum hominum sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliiter dici » propter illam divinam sententiam: Reddam peccata patrum in filios: putans promissionem Domini penes Ezechielem XVIII ad Testamentum novum spectare. Patetur nihilominus se « nihil temere affirmare audere » in ea quaestione, an peccata patrum ultra tertiam aut quartam generationem Deus punire velit. c. 47. Nihilominus tenendum est quod docet s. Thomas heic, et q. III, de Malo a. 8. « impossibile esse quod aliqua peccata primorum parentum, vel etiam primi parentis praeter primum, per originem traduntur ». Ratio est quia per generationem quae est actus naturae solum natura traducitur et ea quae spectant ad naturam, non quae sunt propria personae: et si aliquando contingat virtute generantis transfundi in prolem accidens aliquod individuale proprium generantis pertinens ad dispositionem naturae, id nunquam contingit nec contingere potest de iis quae propria sunt solius animae. Iam vero solum iustitia ab origine collata ea fuit quae esset donum collatum Adamo tanquam bonum naturae propagandum cum ipsa natura (Th. praec.); unde ea amissa per primum peccatum Adami, traducitur natura privata eo dono, seu traducitur peccatum capitis, etsi Adamus per merita Christi, qui caput est naturae reparatae, gratiam recuperaverit; nam ea gratia personalis fuit Adamo, sicut ceteris. Alia deinceps peccata, quae post primum Adamus commisisset, non potuissent amplius corrumpere naturam quantum ad id quod naturae est, quia iustitia, quam amisisset non erat bonum naturae, sed personae tantum: ergo. Idem dicendum de peccatis ceterorum parentum in natura lapsa. Unde etsi Adamus deinceps, atque alii parentes restituti in gratiam Dei per merita Christi, eam denuo amittant, amissio haec non propagatur in posteros, quia est amissio personalis, sicut gratia, quae confertur, est personalis. Cf. Thomas locis citatis. Hinc etiam intelligitur quod bona destinata a Deo universae naturae amitti non poterant a natura propter peccatum cuiuscumque alterius hominis: solius enim capitis familiae voluntas fuit, ut explicavimus (Th. praec.), voluntas totius familiae: cum itaque essent bona totius familiae h. e. naturae non poterant amitti nisi voluntate eius, cuius voluntas esset voluntas totius naturae: quae est sola voluntas Adami.

VI. Quaerunt Theologi utrum, si Eva sola peccasset, peccatum eius transiisset in posteros. Responsio est negativa: 1) quia non femina sed vir caput est naturaliter humanae familiae: 2) quia non

Eva sed Adamus reapse constitutus a Deo fuit caput humanae familiae in ordine morali propagandorum donorum: ipsi enim soli praecipuum latum est, antequam mulier ex eius costa formaretur, eius inobedientiae poena mortis indicta et inflicta Gen. II, 16. 17; III, 19; 3) quia in universa revelatione sive Scripturis sive Traditione proposita, mentio occurrit peccati *unius* hominis, cui alter *unus* opponitur in oeconomia redemptionis. Idcirco peccatum originale *peccatum* dicitur *Adami* (Trid. Syn. Sess. V. c. 3). Itaque verba Eccli. XXV, 33. *A muliere initium factum est peccati et per illam omnes morimur*, significant quidem praevaricationem actualem propterea adaequate spectatam incepisse a muliere, huiusque peccatum occasionem fuisse peccati viri, atque idcirco per eam mulierem, ut occasionem peccati Adami, nos omnes mori, quae quidem mors etiam diabolo in acceptis refertur Sap. II, 24; non vero significant peccatum Evae nobis imputari.

VII. Quaerebant Pelagiani quomodo anima recens creata peccaverit in Adamo, eiusque peccato inficiatur cum unitor corpori. Nonne Deus, qui ipsam creat, auctor peccati dicendus esset? Propter hanc difficultatem Augustinus ingenue fassus est se necire quaenam sententia de origine animae esset praeferenda. Dubitationem ipsius, rationesque dubitandi dedimus in Thes. XXVIII. Nunquam vero negavit animas singulas creari tum cum corpora informanda existunt, imo libens in hanc sententiam concessisset, relictis prorsus aliis, si quis ipsi perspicue demonstrasset quomodo haec cum doctrina peccati originalis conciliaretur. Quanvis vero concipi nequeat qui fiat ut animae singulae, quae recens creantur, inquinentur peccato, negabat tamen consequens inde esse ut dubitandum sit de propagatione peccati originalis, quam Christiana revelatio evidentissime testatur. Quae quidem humilis subiectio tanti intellectus in obsequium fidei, defectum illius notitiae abundantissime compensavit. Hinc de peccato originali aiebat « nihil esse ad praedicandum notius, nihil ad intelligendum secretius » De morib. Eccl. cathol. L. I. c. 22. Et « miris quidem modis fieri, sed tamen fieri ut peccatum dimissum in parente trahatur in prole, quamvis id facili ratione indagari, aut sermone explicari non possit » De Nupt. et concup. L. I. c. 19. imo « et si nulla ratione indagatur, nulla ratione explicatur, verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam » ait cont. Julian. L. VI. c. 5.

Verum deinceps licuit hanc expedire difficultatem, ac fatendum est eius solutionem ab ipso Augustino fuisse praeformatam, etsi eam distincte non perceperit (quod identidem contingere solet; neque enim omnes distincte apprehendunt et sciunt quidquid suis scriptis



vel dictis continetur). Solutio enim pendet ex eo quod per generationem peccatum traducatur, quod Augustinus diserte docuit. Ita s. Thomas heic ad 1. questionem solvit: « dicendum quod etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam dispositivè; unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio. *Ex hoc enim fit iste qui nascitur consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem* ». Et de Potent. q. III. a. 9. ad 3. « Peccatum originale dicitur peccatum totius naturae, sicut peccatum actuale dicitur peccatum personae: unde quae est comparatio peccati actualis ad unam personam singularem, eadem est comparatio peccati originalis ad totam naturam humanam traditam a primo parente, in qua fuit peccati initium, et per cuius voluntatem in omnibus originale peccatum quasi voluntarium reputatur. Sic ergo originale peccatum est in anima in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectionem incurrit quod fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut Angelus unitor corpori assumpto, infectionem non reciperet ».

Scilicet per generationem non corpus tantum, sed natura humana propagatur, et quod gignitur est homo constans anima et corpore, ita ut anima rationalis sit pars naturae, quae ab Adamo procedit. Itaque quoniam ex Adamo peccante natura peccatrix propagatur, h. e. destituta gratiâ, cum haec natura sit anima et corpus simul, necesse est ut anima existat privata iustitia. Sive peccatum primi parentis est peccatum naturae humanae, unde natura humana est destituta gratia, anima rationalis autem est pars huius naturae, ergo ipsa spectans ad hanc naturam privata gratia sit oportet. Aliis verbis: ex peccato Adami fit ut filii eius omnes sint peccatores; filius autem Adami est totus homo; hic ergo peccator erit; si hic peccator est, anima, quae eius est pars, quae ipsum constituit, gratia carere debet.

Quapropter Deus creando non est causa peccati, nam in anima creata possunt duo considerari, natura et privatio gratiae seu sanctitatis, quae rationem peccati habet eo quod est voluntaria voluntate capitis naturae. Porro naturae auctor est Deus, quae bona est. Quoad privationem vero, prout peccati rationem habet, id a peccato libero Adami dependet; prout autem est carentia gratiae, 1) Deus eam non causat faciendo aliquid; nulla enim effectio ad hoc requiritur ex parte Dei, qui animam creat qualem crearet in statu purae naturae.

2) Deus quidem non infundit gratiam, sed haec negatio infusionis, quae infusio fuisset, si Adam non peccasset, *determinatur* a peccato capitis naturae, quod toti naturae imputatur. « Quod huic animae (ait S. Thomas De Malo q. IV. a. 1. ad 11) non debetur a Deo originalis iustitia non est ex parte eius, sed ex parte humanae naturae, in qua invenitur contrarium prohibens » hoc est peccatum Adami quod illi homini imputatur. Quemadmodum admissio peccato personali gratia sanctificans amittitur, nec Deus dicitur causa privationis eius eo quod eam non conservet; quod enim gratia h. e. habitualis sanctitas non sit amplius, id ex peccato pendet quocum consistere nequit. Pariter ergo quoad peccatum originale causa privationis gratiae in singulis est peccatum Adae omnibus imputatum. Causa enim heic non potest dici nisi id quod determinat privationem gratiae, non qui illam non conservat aut non producit existente contrario prohibente. Igitur Deus neque est causa peccati prout peccatum est; neque est causa determinans privationem gratiae, sed solum negative se habet; idque propter peccatum capitis naturae. Prout vero Deus gratia h. e. amicitia sua hominem privat, quatenus enim odio habet, id quidem a Deo est, sed est poena peccati.

VIII. De Fide est filios baptizatorum contrahere peccatum originale. Nam baptisus creditur necessarius omnibus, et filijs baptizatorum atque sanctorum, non secus ac ceteris. Ratio ex dictis pendenda est: omnes enim homines naturam accipiunt per actum naturae ab Adamo. Nec refert quod parentes sancti sint; nam eorum sanctitas est personalis; sanctitas quippe quae ad naturam pertinebat, amissa est per peccatum naturae; sanctitas, quae per Christum recuperatur, ad eas personas pertinet, quibus per Sacramenta Christi merita applicantur. Generatio proinde, quae est actus naturae, eundem terminum in natura lapsa habet, ac haberet si per gratiam Christi parentes non fuissent sanctificati. Quam veritatem ita efferebant Theologi « Homo baptizatus non generat secundum superiorem partem animae, sed secundum inferiores et secundum corpus; et ideo homo baptizatus non transfundit in prolem novitatem Christi, sed vetustatem Adae; » Thomas q. III. De Malo a. 6. Et August. De Nupt. et con. L. I. c. 18. « Ii, qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filii Dei sunt, sed ex hoc quod adhuc filii seculi ».



## Thesis LXXVII.

*Concupiscentia vero, prout est sive in actu generationis sive in ipso genito, signum est certe propagati peccati, modusque illius generationis, qua peccatum propagatur. Non vero ipsa formaliter spectata necessarium medium proprie dici potest aut necessaria conditio propagationis peccati; conditio vero est quatenus concupiscentia materialiter sumitur pro ipsa generatione naturae peccatricis. Quocirca prout concupiscentia significat frequenter ipsum actum generationis per commixtionem maris et feminae, quae est naturalis ratio propagandae naturae, dicenda est concupiscentia conditio propagationis peccati, eo modo quo est ipsa naturalis generatio.*

I. Concupiscentia habitualis et actualis in generantibus, atque concupiscentia habitualis in generato, sunt quaedam inordinatio appetitus, ut declaravimus Th. XLIV; atque huc redit concupiscentia formaliter spectata. Iam vero utraque effectus est peccati originalis, quatenus propter amissionem voluntariam gratiae ablata est integritas naturae: atqui effectus est signum causae a qua dependet; ergo concupiscentia quae in generante est significat generationem ipsius esse generationem naturae lapsae, quae proinde traducit peccatum; et concupiscentia in generato signum est peccati quod ab ipso contrahitur. Ipsa concupiscentia generantis inest propter amissionem integritatis actui generationis tanquam modus eiusdem, et pariter concupiscentia habitualis geniti inest eiusdem appetitui veluti modus. Qui modus sicut naturalis fuisset in statu purae naturae, ita poenalis nunc est propter peccatum naturae, et omnem generationem comitatur. Quapropter ex ipso existente licet arguere causam eius hoc pacto. Licet enim ita ratiocinari: generatio naturae peccatricis traducit naturam peccatricem h. e. privatam gratia, generatio vitiosa ex peccato est generatio naturae peccatricis, generatio cum concupiscentia est generatio vitiosa ex peccato; ergo ab ultimo ad primum, generatio cum concupiscentia traducit naturam peccatricem. Cum autem dicimus concupiscentiam generantium signum esse peccati propagati, id intelligimus secundum communem ordinis praesentis legem: fieri tamen potest ut Deus excipiat aliquem genitum naturali modo a contrahendo peccato: quamvis in eo fuerit debitum contrahendi peccati, cuius debiti signum maneret concupiscentia generantium.

Verum cum haec dicimus, volumus ne dicere quod concupiscentia generantium sit causa traductionis peccati? Causam intelligimus id quod est principium efficiens sive physicum sive morale traductionis peccati. Qua in re distinguenda est notio *causae* a notione *conditionis*. Conditio quamvis necessaria sit ad effectum, tamen huiusmodi est, ut si per impossibile, ea deficiente, existerent cetera quae requiruntur ad effectum, isle haberi posset adhuc: at si causa deest vel partialis, etsi cetera adsint, effectus haberi nequit saltem naturaliter: ratio est quia causa influit in existentiam effectus, non conditio.

II. Iam vero si concupiscentia accipitur materialiter, h. e. pro ipsa *generatione* (loquimur de generatione activa parentum) naturae lapsae, cui generationi inest libido, quid in hac hypothesi affirmandum sit postea disputabimus. Si vero concupiscentia accipitur *formaliter* prout est inordinatio, quae naturae et actui generationis accedit, et ab his distingui potest, negamus concupiscentiam esse necessarium medium vel necessariam conditionem propagationis peccati: sed affirmamus quod vi institutae ab initio oeconomiae generatio naturalis est sola necessaria conditio propagationis peccati.

Sane 1) obnoxii sumus peccato quia peccavit naturae caput, quia eius filii sumus natura, quia in illo ratione seminis eramus; haec quidem sunt omnes formulae catholicae, quibus ratio propagationis peccati certissime exhibetur: atqui ratio propagationis quae his formulis repraesentatur est ipsa generatio: ergo si ipsa adsit, sufficit ad propagationem peccati. Et re quidem vera 2) nos eramus in Adamo tanquam parente ante eius peccatum, et propterea imputatur nobis eius peccatum: atqui tunc eramus ratione solius generationis, ergo. 3) Praeterea si concupiscentia prout talis est medium propagationis peccati, dicendum est non contrahere nos peccatum Adae simpliciter ex eo quod sumus filii parentis peccatoris, cuius peccatum filiis omnibus imputatur, sed in ipsa concupiscentia inveniendi est specialis ratio seu efficientia qua peccatum transmittatur. Quenam vero est haec ratio? an quia per se concupiscentia generationis vel ex se sola vel eo quod gignit hominem obnoxium concupiscentiae excludit ex rei natura gratiam a genito? Id quidem satis absurdum est: quinam enim est inter haec duo, concupiscentiam praevertentem et statum peccati subsequentem, nexus necessarius? An in statu purae naturae in quo generatio fuisset cum concupiscentia, omnes nati fuissent peccatores? An ratio est quia haec concupiscentia est a peccato primi hominis? Verum si non sufficit generatio ex Adamo in natura privata gratia ad contrahendum eius peccatum sed concupiscentia requiritur ab illo inducta ut medium propagationis peccati,



dicendam esset quod nisi in Adamo subsecuta esset concupiscentia ad eius peccatum, non potuisset eius peccatum propagari in filios. Consequenter clara est: atqui consequens est falsum: ergo et anteedens. Falsitas autem illius consequentis demonstratur. Sane supponendum est quod ex peccato Adami non est necessario ex rei natura subsecuta concupiscentia; nam inobedientia Adami eam per se non inferebat, et reapse ablatio integritatis fuit poena quam proinde Deus poterat non infligere: neque ea se habuit ad modum peccati habitualis, ut Iansenius supponere videtur, cum in baptismo remittatur quidquid habet rationem peccati, manente concupiscentia. Hoc supposito, etsi concupiscentia non fuisset subsecuta, potuisset peccatum Adami posteris eius imputari; nam et in hac hypothese fuisset peccatum Adami totius naturae, peccatum totius familiae, quae unum est cum illo: ergo. Sane si concupiscentia non subsecuta, etiam admissio peccato ab Adamo, non propagaretur eius peccatum in nos, amissio gratiae in nobis non esset secuta immediate ex peccato primi parentis, sed ex effectu eoque contingenti eiusdem peccati, atque per Adami peccatum solum nos peccatores non essemus constituti, secus ac docet universae Ecclesiae sensus, qui clamat eo peccante nos omnes peccasse, una cum illo lapsos, comedisse fructum vetitum et huiusmodi. Assertio ergo necessitatis huius medi pro propagando peccato originali relinquenda est Iansenio (De peccato originali c. 6. seqq.) eiusque sequacibus, qui et status purae naturae possibilitatem negant et in concupiscentia malitiam quandam inveniunt qua inficiantur qui ex ea et cum ea gignantur.

Itaque si sermo sit de concupiscentia actuali, quae actui generationis inest, nequit ea censeris medium propagationis peccati. Etenim etsi actus concupiscentiae deesset, generatio foret semper actus naturae corruptae per peccatum Adami: ea autem generatio medium est quo peccatum ab Adamo traducitur in posterum; ergo peccatum traduceretur etiam deficiente concupiscentia actuali. Si autem supponatur quod et concupiscentia habitualis deesset, tunc est distinguendum. Nam vel deesset his personis generantibus concupiscentia habitualis, quia ab universa natura ablata est per restitutionem in integrum totius naturae, qualis erat ab initio; et in hac hypothese cum mutatus naturae ordo esset, et peccatum naturae deletum, nullum peccatum traduceretur ad posterum. Si autem deesset concupiscentia habitualis huic personae per aliquod privilegium personale, manente adhuc natura sub damnatione peccati primi hominis; generatio huius qui a concupiscentia exemptus foret, esset semper generatio naturae lapsae in Adamo, ab Adamo peccatore procedens, ideoque conditio transfusionis peccati. Idem dicendum si genitus ob

speciale privilegium immunis fieret a concupiscentia habituali, non hoc ipso immunis quoque esset a peccato. Ergo concupiscentia est quidem modus causae propagantis peccatum, non vero ipsa causa vel instrumentalis.

Concupiscentia autem quae inest genito nequit rursus esse necessarium medium pro propagando peccato. Nam vel spectatur corpus ante animationem, vel post animationem. Si ante animationem, 1) in corpore non est concupiscentia, sed solum dispositio ad eam ex parte materiae, prout est mortale et corruptibile; 2) corpus nequit advenientem animam inficere, infectio enim peccati ad ordinem spirituale et morale spectat, quem corpus attingere non potest. Si post animationem: anima statim ac unitur corpori, eo quod pars est naturae, peccatum contrahit, et concupiscentia existens in homine est posterior natura ipso peccato originali. Reificienda est autem explicatio Iansenii (De statu naturae lapsae L. I. c. 3) quod ideo per concupiscentiam dicamur contrahere peccatum, quia existente concupiscentia non potest animus non esse aversus a Deo; qui est error iam superius reprobatus, ubi de malitia concupiscentiae egimus. Itaque eatenus dicitur animam infici a corpore cui coniungitur, quia peccatum contrahit eo quod coniungitur corpori, quod a vitiosa natura per peccatum primi parentis traducitur, cuius signum est dispositio, quae ipsi inest ad concupiscentiam; atque ita fit pars naturae peccatricis, unde privata existit gratia.

III. His argumentis, quibus probavimus in concupiscentia formaliter spectata non inveniri specialem rationem seu efficientiam qua peccatum propagetur, probatur quoque eam non esse simplicem conditionem necessariam eiusdem effectus. Etenim si concupiscentia dicitur esse talis conditio propagationis peccati, ut si ea deesset in natura, etiam admissio peccato, cum propagaretur corpus integrum, non peccatum sed gratia propagaretur; id concedi non potest. Nam etsi haec poena et haec labe naturae deesset, si tamen peccatum primi parentis existeret, qui gratiam amississet destinatum universae naturae, id per se satis esset ad propagationem peccati: nec ultra alia conditio requireretur ut peccatum eius ad posterum propagaretur, ut argumenta priore loco allata satis ostendunt.

IV. Verum cum concupiscentia nominatur, quae in generatione locum habet, intelligitur frequenter ipsa commixtio maris et feminae, cuius terminus est generatio. Ratio huius intelligentiae in eo est quod concupiscentia actualis pro generatione non habet locum, nisi existat commixtio; atque hac commixtione existente, habet locum actualis concupiscentia. Hinc fit ut gigni ex concupiscentia actuali sit gigni ex commixtione maris et feminae, atque gigni citra concu-



pscentiam sit gigni sine ea commixtione, h. e. sine ope viri. Porro si id intelligitur cum dicitur concupiscentia, ideoque cum dicitur aliquis ex concupiscentia gigni vel non gigni, manifestum est quod vere dicitur concupiscentia conditio necessaria propagationis peccati, quemadmodum id verissime dicitur de naturali actu generationis, quo propagatur natura, ut probavimus Th. praeced. p. I. Atque huc redeunt eae frequentes Patribus formulae, quibus assertur Christum sine peccato esse genitum, et necessario exclusum esse ab eo peccatum *vi ipsius suae originis, quia nempe sine concupiscentia est genitus*. h. e. *sine complexu maritali, sine commixtione corporum, sine semine virili, natus ex virgine sine paterna carnis concupiscentia, non de concupiscentia maris et feminae, longe aliter ac dissimili modo conceptus est*, ut iidem Patres loquuntur. Cf. Ambrosium penes Augustin. De Nupt. et Concupis. c. 35. August. De Gen. ad lit. L. X, c. 20. Leonem M. Serm. II. De Nativit. Domini, c. 2; Beda in epist. ad Rom. c. 5; Petrum Damiani Ser. 4. in Nat. Ioan. Bapt. Hic quidem modus generationis postulat ex se immunitatem a peccato, ita ut etiamsi simplex homo foret qui ita generaretur, esset is necessario immunis a peccato: quemadmodum data opera demonstrat S. Anselmus in libro de Conceptu virginali. Quare qui hoc modo gignitur non solum immunis est a peccato sed et a debito contrahendi illud. Haec est praerogativa singularis et propria generationis Christi, quam Patres prae oculis habent cum eius immunitatem a peccato praedicant ratione suae originis.

V. Pro tuenda sententia opposita illi, quam heic vindicavimus, perperam Augustinus producit in medium. Profecto 1) ipse ut propagationis peccati Adami rationem reddat, provocat ad unitatem omnium nostrum cum capite naturae, a quo per generationem descendimus. Serm. CCXCIV. 14. De Verb. Apost. n. 13. « Quomodo dictum est de Adam; *in quo omnes peccaverunt?* quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus: tanquam in parente tanquam in radice ibi eramus. » Et in Oper. imperf. L. IV. n. 104. « Hoc (*in quo omnes peccaverunt*) dicitur propter originem seminis, unde omnes futuri erant, secundum quam originem omnes in illo uno erant. » De Civit. Dei L. XIII, c. 14. « Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli viveremus: sed iam *natura erat seminalis* ex qua propagaremur, scilicet propter peccatum vitiatam. » Et ibid. L. II, n. 173. « Iam dixi, et ecce iterum dico: ego de his dixi: omnes ille unus fuerunt, quos fuerat seminaturus, idest generaturus Adam; ex illo ergo uno principaliter (prae Eva) erant tracturi nascentes originale peccatum qui genuit. » Et ibid. n. 163.

« Quia in illo, qui hoc egit (inobedientiam), quando id egit omnes eramus, tantumque fuit ac tale delictum, ut eo natura univisa vitaretur humana, quod satis indicat etiam ipsa generis humani tam manifesta miseria, hoc delictum alienum obnoxia successione fit nostrum. » Ergo generatio ab Adamo est sufficiens ratio propagationis peccati. 2) Locutiones omnes Augustini de causalitate concupiscentiae accipi commodissime possunt sensu a nobis explicato vel quatenus concupiscentia signum est propagati peccati, est modus generationis illius qua peccatum propagatur, atque materialiter est idem cum ea generatione qua peccatum propagatur: vel quatenus ut in IV parte diximus, concupiscentia sumitur pro ipsa commixtione viri et feminae, quae est naturalis ratio propagandae naturae. Serm. CLI, al. 43. De Tempore c. 3. « Aperi sunt oculi eorum ad aliquid, quod nunquam senserant, quod in motu sui corporis nunquam expaverant. Ecce unde trahitur originale peccatum: ecce unde nemo nascitur sine peccato. Ecce propter quod Dominus non sic concipi voluit, quem virgo concepit. » De Nupt. et concup. L. I, c. 48. « Propter hanc (concupiscentiam) fit ut etiam de iustis et legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii seculi generentur, quia et ii qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant, quod filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii seculi: » et ibid. c. 24. « Ex hac concupiscentia carnis quaecumque nascitur proles, originali est obligata peccato; nisi in illo renascantur quem sine ista concupiscentia virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus. » Atque alibi passim. Haec porro idonee intelliguntur, etsi concupiscentia materialiter accipiatur pro ipsa naturali generatione naturae vitatae per peccatum.

Non aliter generatim accipiendi sunt Scholastici, qui animam infici peccato aiunt, quia corpori coniungitur obnoxio concupiscentiae. Nimirum haec ratio huc redit: Adamus gignens cum concupiscentia, quae est poena peccati sui, gignit quoad corpus naturam, cui non debetur gratia; gratia autem non debetur propter peccatum parentis, cuius ipsi per generationem filii sunt; hinc anima coniuncta corpori cum concupiscentia genito, privata existit gratia, quia coniungitur corpori naturae peccatricis. Cum enim in praesenti ordine concupiscentia sit effectus peccati, neque Deus eam voluerit esse simul cum sanctitate originali, perinde est coniungi corpori concupiscentiae obnoxio, ac coniungi corpori naturae peccatricis. Itaque concupiscentia eatenus conditio est propagationis peccati, quatenus ad propagationem peccati per generationem tanquam conditio requiritur ut sit generatio naturae peccatricis; generatio autem naturae peccatricis, in praesenti ordine, est generatio cum concupiscentia, qua corpus gignitur concupiscentiae obnoxium.